

lxxxix, art. 5, meritorum reviviscantiam, peccatum non admittit. Quodnam igitur erat illud universum debitum? Recte respondet D. Thomas: « Propter subsequentem ingratitudinem, » odit universum debitum, in quantum quantitas « peccatorum præcedentium proportionaliter, in « ingratitudinem subsequenti, non autem abso- « lute. » Et quamvis opus non sit, ut hoc posterius peccatum, illi priori et antecedenti omnino exequetur, per illud tamen saltem efficitur, ut peccatum novum alias ex objecto suo non ita grave ac antecedens peccatum, in circumstantia ingratitudinis ob receptum beneficium, gravissimum evadat, majorique poena reddatur dignum. Supplicium enim reincidentium in peccata semel dimissa augetur propter ingratitudinem.

d. — Debitum, sicut supra dictum est, delicti figura est, nam debitum contrahitur, quoties delinquitur; unde Venantius Fortunatus: « Convenien- « ter, » ait, « debita peccata dicuntur, quæ et « debentur, et requirenda sunt. » Quot ergo peccata commisit hic nequam servus, qui debuit decem milia talenta? A quibus tamen liberalissime absolutus, spontaneæ pristina repetens, seipsum in ingenti damnificavit; que damna sequentibus verbis S. Ambrosius exponit, in *Psal. xxxv*: « Ostenditur « nobis ultimus nostri imaginatio peccati, nec quie- « tum rem suam esse permittit, inferens miseram « servitute, atque in sua vincula trahit, enodare « se ut non queat: quoniam volens ipse se vendi- « dit, cui liberam erat, delictorum aera non ca- « pere et libertatem innocentia reservare. » Sic scilicet peccator mortaliter peccans semetipsum offendit et damnificat, sulpisus carnifex efficitur. Pergit vero citatus Ambrosius: « Itaque cum ora- « mus, peccatum effunditur: ubi sumus sensum « corporis laxaverit, peccatum recurrit. Semper « nobis error noster, tanquam mali exactor occur- « rit, vel tanquam improbus fonerator, conveniens « debitorem. » Ita torquet et tormentat peccato- rem peccatum, et impij mordet conscientiam, ut servus exactor.

e. — Primo cum Dominus mandasset servum venundari, ipse prostratus patientiam supplicans, misericordiam impetravit: *Miserus Dominus servi tuius, dimisit eum, et omne debitum dimisit ei*. S. Joannes Chrysostomus, *Hom. lxxvi in Matth.*, hanc super re ad rem præsentem ita acute philosophatur: « Vide divini amoris superabundantiam; petit « servus solius temporis dilationem, ipse autem « majus eo quod petit, dedit; et dimissionem, et « concessionem totius mutui. Modo autem iratus « Dominus, tradidit eum tortoribus. » Quæ repentina illa obstupescenda tam liberalis Domini mutatio? que inopina rerum vicissitudo? cur servus ad sponsones non recurrit? ad patientia asylum, dicens: *Patientiam habe in me?* Dicunt jura: *Fraus*

et dolus nemini patrocinator. Fraudulenter spon- derat delicti penitentiam, quod ex eo patet, quod tam facile adeo gravis delicti venia impetrata, mox crudeliter opprimat conservum; adeoque si milles has penitudinis voces repeteret: *Doleo, doleo, patientia, patientia!* necquam obtineret. Et ideo modo sic tacet, et pro sui causa non offert, per quas antea clementiam fuerat assecutus. Exteriores enim illæ devotionis demonstrationes, quas impij mortis tempore fundunt, heu nimium sunt fallaces et inutiles!

f. — Communiter sancti Patres per hunc locum intelligunt Purgatorium, a quo interdictus est exitus, quousque reatus poenæ atrocissimis poenis expurgetur. « Illud scitote, » ait S. Bernardus, *de obitu Humberti*, « quia post hanc vitam, in purga- « toris locis contempliciter, quæ hic fuerint ne- « glecta, redduntur usque ad novissimum quadran- « tem. Scio ego, quam durum sit homini dissoluto « apprehendere disciplinam, verboso silentium pati, « vagari solito stabilem permanere. Sed durius, et « multo durius erit, futuras illas molestias tolerare « in purgatorio igne. Centupliciter hic neglecta « redduntur. » O gravissimum et acerbissimum supplicium!

g. — Profectum cum dona Dei sint absque penitentia, quare sic iratus Deus inducitur, ut non tantum dicatur inhibuisse benignitatis scarturiginem, sed et speciebus largita munera revocasse? Tantumne deliquit hic servus conservum ad debiti solutionem urgendo? Nihil Deus magis odit quam impatientiam, in cuius detestationem id factum est.

D. Joannes Chrysostomus, die quadam populum suum Antiochenum ad patientiam exhortans, sequentem illis propositum doctrinam: « Si vis gau- « dere, et remissione, et voluptate potiri, neque « voluptatem, neque remissionem quæras, sed ani- « mam patientia plenam quære et tolerantiam « adhibere valentem. Quod si hoc non habeas, non « tantum tentatio te redarguet, sed et remissio « perdet, et magis dejiciet. Quod enim non gra- « vium incursum casuum, sed mentis nostre, cor- « poris salutem nostram subvertat, audi quid dicit « Christus: *Quicumque audit verba mea hæc, et non « facit ea, similis erit viro stulto, qui ædificavit do- « mum suam super arenam: et descendit pluvia, et « venerunt flumina, et flaverunt venti, et irruerunt in « domum illam, et cecidit, et fuit ruina ejus magna.* « Vides quod non tentationum conflictus, sed ædifi- « cantium stultitia ruinam fecerit? » Totus porro hic discursus eo tendit ut ostendatur, nunquam nos ruinas timere posse, quando fundamentum patientia subsistit; e contra vero illas formidandas esse, quando dictum fundamentum collabescit et deficit. S. Augustinus suam adversus impatientiam indignationem clare ostendit, quando in sermone quodam *ad fratres*, in hæc verba detonuit: « Sicut

« per impatientiam omnia destruantur bona, om- « niaque suffocantur optima, sic et per patientiam « omnia generantur bona, omnes iniquitates de- « merguntur in profundum. »

VERSUS 35.

Sic et Pater meus celestis faciet vobis, si non remis- eritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris.

Sic et Pater meus celestis faciet vobis.

1. — Notandum hic est, non dicere: *Pater vester*, aut *noster*; sic enim æternum Patrem suum primis Dominicæ orationis verbis: *Pater noster*, fideles suos compellere docuerat, quia, ut Theophylactus ait: « Non dicit Pater vester, sed Pater meus; « indigni enim sunt tales, qui Deum habeant Pa- « trem; » qua enim fronte vindictam appetentes ut Deum patrem invocare, sequæ filios ejus appellare poterunt, dum proximis injurias condonare nolunt? Merito enim Deus talibus respondere poterit: *Neque ego pater, neque vos filii; aut quomodo in veritate dicant: Dimittimus debitoribus nostris?* Quando Dominus noster filiorum titulo nos honoravit, audite, quod verborum pondere idipsum fecerit; postquam enim dixisset, *Matth.*, v. 44: *Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, orate pro persecutoribus et calumniatoribus vos;* protinus subdit: *Ut sitis filii Patris vestri qui in celis est, qui solem suum ortiri facit super bonos et malos.* Eadem quoque est Chrysostomi, *Hom. lxxii in Matth.*, observatio, dicentis: « Non dixit *Pater vester*, sed *meus*; non enim digni sunt isti, quorum « pater, Deus vocetur, cum ita nequam sint, ut « homines odio prosequantur. »

Si non miseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris.

2. — Cajetanus observat, quod Christus injuriam remissionem non verbis tantum, sed etiam corde factam desideret: « Non vult simulatam « remissionem, sed ex intimo corde, qui cordium « scrutator et judex est Deus. » S. Augustinus in *Cateua* citatus, salutare hoc nobis monitum tradit:

« Melius est, ut clames ore et dimittas corde, quam « ut sis blandus ore et crudelis corde. » S. Hieronymus pariter a S. Thoma citatus, dicit: « *De cor- « dibus vestris*, ut omnem stimulationem fictæ pie- « tatis averteret. » Theophylactus ait: « *De cordi- « bus*, non de ore duntaxat. » Salmeron nullorum detegit astutiam, qui extrinsecus quidem remittunt, cum tamen odii venenum in cordibus illorum ebulliat. « Addit, *ex cordibus vestris*, quia injuria « condonatio, ab omni furore et fictione debet esse « aliena; » adducitque ex S. Hieronymo auctorita- tem contra illos, qui hæc in re fictæ agentis dicunt: « Ego nihil habeo contra eum, ipse novit, habet « Deum judicem; quæ verba sat argutum animum « adhuc exulcerant et inimicum ei, qui læsit. »

3. — Venerabilis Bedæ supplicium ob oculos nobis statuit, quod reportatur smus, nisi ex toto corde miserimus inimicis nostris: « Ex quibus « videlicet dictis constat, » inquit, « quia si hoc « quod in nos delinquitur, non ex corde dimitti- « mus et illud rursus a nobis exigitur, quod nobis « jam per penitentiam remissum fuisse gaudea- « mus. »

Additio.

a. — *Sic et Pater meus celestis faciet vobis.* Formidolosa certe sententia, sed justa, quia cum facillimum sit, et delectabile fraternam servare charitatem, merito isdem, cum servo isto nequam, tortoribus traduntur temporalibus et æternis, qui nec in tantum divino voluerint obedire præcepto, neque tantillum malignæ sue contrariæ voluntati. Unde defectus hujus dilectionis, reprobationis indicium est, et varia hujus præcepti transgressores sunt irrogata supplicia. Dum S. Joannes Apostolus, *I Epist.*, ii, 10, dicit: *Qui diligit fratrem suum in lumine manet, qui odit in tenebris est;* verba illius hunc fere sensum habent, quod scilicet proximorum dilectio lucis divinæ gratiæ hominem adimpleat; qui vero eandem negligit, in æternæ perditionis harathrum sit precipitandus. Hugo Cardinalis ait: « In lumine permanet, quia, *Rom.*, xii, 8: *Qui diligit proximum, legem implevit.* » Joannes autem, *I Epist.*, iii, 14, sic ait: *Qui non diligit, manet in morte.*

DOMINICA VIGESIMA SECUNDA POST PENTECOSTEN

EVANGELIUM MATTHEI, CAP. XXII, VERS. 15

15. Abeuntis Pharisei, consilium inierunt, ut caperent eum in sermone.

16. Et mittunt ei discipulos suos, cum Herodianis, dicentes: Magister, scimus quia verax es, et viam Dei in veritate doces, et non est tibi cura de aliquo, non enim respicis personam hominum.

17. Die ergo nobis, quid tibi videtur: Licet census dare Cæsari, an non?

18. Cognita autem Jesus nequitia eorum, ait:

19. Quid me tentatis, hypocritæ? Ostendite mihi numisma census; at illi obtulerunt ei denarium.

20. Et ait illis Jesus: Cujus est imago hæc et superscriptio? Dicunt ei: Cæsaris. Tunc ait illis: Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari, et quæ sunt Dei, Deo.

VERSUS 15.

Abeunt Pharisæi, consilium inierunt, ut caperent eum in sermone.

Abeunt Pharisæi.

1. — Sciendum, quod, ut Salmeron bene advertit, Salvator noster in capite præcedenti Pharisæos per tres parabolas perstringendo exasperavit, quarum prima fuit de filiis ad vineam missis, quorum unus eo dimissus quidem, non tamen ivit. Secunda, de vinea agricolis elocata, quam speratum non ferentem fructum, a primis ablatam, aliis excolendam tradidit. Tertia denique de iis, qui ad nuptias invitatis eas adire detraxerant: « His parabolis puncti fuerant et offensi; unde velut injuria affecti vindictam meditantes quamdam, consilium inierunt, qua ratione eum confunderent. »

2. — Dionysius Carthusianus verba hæc de discessionem interpretatur corporali, ex quo Christi presentia abierunt: « Id est, a corporali Christi presentia se subtrahentes et seorsim euntes; stabant æquidem coram Christo cum principibus Sacerdotum, sed illis convictis callide abierunt et inter se contulerunt, quomodo possent capere Christum. » Hoc autem feria quarta, passionem ejus antecedente, contigit. S. Marcus, xii, 12, ita de illis scribit: *Et relicto eo abierunt.* Ecce quantum sibi damnus ex eo intulerint, quod a Dei presentia abierint, sequæ ab eo elongaverint, *Jer., xvii, 13: Omnes qui te derelinquant, confundentur; recedentes a te in terra scribentur, quoniam dereliquerunt venam aquarum viventium Dominum.* Id quod eis ad litteram evenit, quia ad finem usque sæculorum a Deo derelicti fuerunt; enimvero dum Salvatorem ab oculis suis dimiserunt, scelus committere non dubitarunt adeo execrandam, ut abominabilis nunquam ab humana fuerit malignitate commissum, ipsam videlicet Filii Dei crucifixionem. S. Petrus, qui divinum Magistrum suum ad mortem usque sequi inviolabiliter promiserat, vix se ab eo elongarat, *Matth., xxvi, 38, Sequatur eum a longe,* cum ecce trina eum vice negavit; unde S. Ambrosius ait: « Bene a longe sequatur, eum proxime negaturus, neque enim negavisset, si Christo proximus adhaesisset. » Salvator noster quondam per os Psalmistæ lamentabatur, dicens: *Insuperaverunt adversum me, et fortes quaesierunt animam meam, ac confestim rationem subjungit, dicens:*

Non proposuerunt Deum ante conspectum suum, omne namque malum ab eo procedit, quod homines se in divinam presentiam exercitio minime occupent.

Consilium inierunt.

3. — Coadunati sunt, ut stratagemata aliquod sibi ad Christum illaqueandum contexerent, ex quo enim alias in similibus occasionibus in intentione et machinationibus suis fuere sæpius delasi, suoque sine frustrati, ideo ne idipsum et hæc vice illis contingeret, consilio ipsis opus erat. Unde Lucas Brugensis ait: « Experientia jam discere debuerunt, « nullum valere consilium contra Dominum; » at vero concepta ab ipsis adversus Dominum invidiæ et odii passio illos excaecabat: *Quærebant mittere in illum manus, ut est apud Lucam, x, 19, illa hora, et timerunt populum, et observantes miserant insidiatores, qui se justos simularunt.*

4. — Salmeron verbum *abeunt* notans, terminum a quo et ad quem considerat, dicens: « Vide a quo, id est, Christo, et ad quos, id est, Herodiam nos confugiunt, ut consilium capiant; qui enim a Christo recedit, nullum bonum consilium invenire potest; » unde optime in libro Tobie, iv, 19, snadetur: *Consilium semper a sapiente perquire;* sapientior autem consiliarius inveniri nequit, quam Christus, quem magni consilii Angelum appellatum esse novimus.

5. — Adimpletum est in hac occasione illud Sapientis oraculum, *Prov., ii, 20: Non est sapientia, non est prudentia, non est consilium supra Dominum;* quia tantum abest, ut consilio suo quidquam contra Salvatorem obtinerent, ut idem polius ad majorem redundaret Salvatoris gloriam, ipsorum vero majorem confusionem; unde S. Lucas, xx, 26, ait: *Et non potuerunt verbum reprehendere coram plebe et mirati in responso ejus tacerunt.* Theophylactus, in *Luc.,* ait: « Laqueum paraverunt Pharisæi, quem « difficile, ut illis videbatur, eludere poterat Dominus, sed comprehensus est illo pes eorum, » quia juxta Sapientis dictum, *Prov., i, 17: Præstra jacturæ rete ante oculos pennatorum.*

Ut caperent eum.

6. — S. Lucas, xx, 20, aperte dicit: *Ut truderent illum principatui et potestati præsulis;* Salmeron ait, verbum *caperent* in greco idem esse quod *illaquearent;* quo modo etiam Cajetanus legit: « *Insinuat, quod volebant capere ad mortem.* » Glossa

Interlinearis inquit: « Ut aliquid quasi eo ignorante extorquerent ab eo, in quo argui-possent. » Dionysius Carthusianus ait: « *Caperent, id est, repræhenderent.* »

In sermone.

7. — Lucas Brugensis eos existimasse dicit, fore ut Christus per responsum suum seipsum irretiret, qui talem ei interrogationem facere decreverant, ad quam quidquid responderet, præjudicium non evaderet. « *Rationem inveniunt, qua ipsum capiant, adeoque illaqueant suis verbis, in quibus facilius « offenditur, quem ut nondum capere audebant; in « opere autem capere impossibile erat irreprensibilem; » eandem quoque observationem Lyranus habet: « Quia, » inquit, « non poterant capere eum in opere malo et quia facilius capitur homo « in verbis quam in factis, » ejus causa est, ut inquit Dionysius Carthusianus, quia *linguam, juxta S. Jacobum, domare nemo potest.**

8. — Salmeron ipsis sperasse dicit, quod eum ad proferendum verbum aliquod inducere possent, unde mortem ei machinari ipsis liceret: « Ut inducerent ad dicendum aliquid, unde possint morti « tradere, quia vi et potentia non audebant ob plebem. In sermone, quia lubricam esse sciebant « humanam linguam; adde quod verba citius trahi « possint ad calumniam, quam facta; hæc enim « quoniam manent, facile judicari possunt; at « verba emissa semel, quoniam revocari nequeunt, « non magno labore a detractore pervertuntur; » unde de iis dici potest, quod Apostolus scribit, *Rom., i, 21: Evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum, dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt;* inter se studiosè delibenterant, seu, ut Evangelista dicit, *consilium inierunt, ut caperent eum in sermone,* et tamen vide, quam turpiter in eo errarint. Verissimum quidem est S. Jacobi dictum, scilicet: *Qui non errat in lingua, hic perfectus est vir,* verumtamen ipsum Filium Dei esse scire debebant; unde Hugo Cardinalis ait: « Hic est solus Christus, qui est Verbum et ideo « non potest errare in verbo: *Sermo tuus veritas est.* » Confirmat dicta S. Thomas, scilicet quod *stulti facti sunt,* siquidem ita scribit: « Stultum consilium fecerunt, ut Jesum caperent in sermone, « quia ipse erat Verbum Dei; et Verbum Dei non « est comprehensibile. »

9. — Ecce, quousque malitia ascendat Pharisæica, ad ulendum scilicet velut instrumento mortis, contra Verbum æternum, verbo et sermone ejus, qui ordinatur ad vitam: *Verba quæ ego locutus sum, spiritus et vita sunt.* Et S. Petrus, omnium Apostolorum nomine confitetur: *Verba vitæ æternæ habes;* Hugo Cardinalis ait: « Stulti sunt, qui volunt « capere Verbum in verbo; » idem tamen illi faciunt, qui ad auscultandum quidem Dei verbum

abeunt, non tamen ut inde proficiant, sed ut illud censura sua exagitent, contra quos Paulus de Palatio ita scribit: « Ita nunc Pharisæi quidam in nihil « aliud intendunt, quam ut Prædicatorem capiant « in sermone; » quantum vero hi tales Deum offendant, idem per hanc observationem exaggerat: « Quam sit horum gravis iniquitas, ex Dei in « loco isto furore conjicias, vix enim invenies « Christum tam gravia verba dixisse, quam nunc. » Porro differentiam, quæ in Dei verbo auscultando, hominem sapientem inter et stultum versatur, Ecclesiasticus, xxi, 18, ad propositum nostrum his verbis edisserit: *Verbum sapiens quodcumque audivit sciens, laudabit, et ut se adjiciet; audivit luxuriosus, et displicebit illi, et projiciet illud post dorsum suum.* Pharisæi Christi verbum auditu suo dignabantur, quia non erat conveniens gustus eorum, quia vitia reprehendebat, detegebatque hypocritis illorum, quæ cunctas actiones suas obtegebant, ac proinde prædicationi ejus insidiabantur, eumque calumniam satagebant.

Additiones.

a. — *Abeunt Pharisæi consilium inierunt ut caperent eum in sermone.* Postquam Christus Dominus, per longam prædicationem Pharisæos hocce a vitis et a peccatis revocare, fere per triennium allaborasset, eosdemque sæpe reprehendisset, imo et morte, et urbis suæ excidio terruisset, illi tamen nequaquam emendati sunt: *Time, id est, eodem die Martis post Dominicam Palmarum, ut notat Carthusianus, Hugo, Lucas Brugensis et alii, abeunt consilium inierunt, nova et iniqua adversus eum molientes.* O perditæ salutis homines! Similes sunt hisce Pharisæis ii qui correctiones aspernantur et rident, corrigentem vero calumniantur et indignè tractant. Sapiens, *Prov., xv, 12, pestilentem appellat eum, qui non amat corrigi et a suis erroribus emendari: Non amat pestilens eum qui se corrigit;* facile enim malitiae suæ contumaciter transmittit ad alios, dum non castigatur, perque impunitatem morbus ejus non curatus, in grave Reipublicæ damnus latissime serpit. Ecclesiasticus, xxi, 7, inquit: *Qui odit correptionem, vestigium est peccatoris.* Quæ verba Lyranus, Hugo Cardinalis et Rabanus unanimes sic interpretantur: « Indicium « præbet inhabitantis in se diaboli; vel imago et « imitator est diaboli. » Dionysius vero et Emmanuel Sa ita exponunt: « Qui odit correptionem, eo « ipso ostendit se decrevisse peccatis adherescere. » Simon de Cassia illa Evangelii verba: *Sit tibi sicut ethiops et publicanus,* exponens, ita scribit: « Eorum est desperanda salus, quibus est odiosa correctio; et tibi et omnibus animalibus fiant ab omni « conversione semoti, qui proximum unum et deinceps auctoritatem Ecclesiasticam animo contumaci « contempserint; quoniam seipsum diabolum fecit,

« qui corrigi nequit et propemodum homo delinquens, iuste correctioni non subditus, peior est diabolo, cum corrigi nolit et nequit; ac nolit quia nequit, aut nequit quia nolit. » S. Isidorus considerat, multis perversis et in peccato obduracy minime sufficere, quod illos a quibus corriguntur a se repellant, quae etiam multas contra eos falsas calumnias et imposturas coaccervare solitas esse: « Nonnullos tantae esse pravitate homines, qui dum ipsi a malo corrigi negligunt, correctorum vitam falsa criminatione detractant et ad sui sceleris solatium usurpant, si vel false compererint, quod ad infamiam honorum objiciant, sicut est illud ex Salomone, *Eccli.*, xi, 33 : *Bona in malum convertit impius et in electis imponit maculam.* » His autem qui tales sunt, S. Isidorus comminatur, dicens: « Vae autem illi, qui suam vitam renuit corrigere et bonorum non desinit detractare. »

b. — Multa Christus Dominus, tum verbo praedicationis suae, tum opere curationis, in Phariseos contulerat beneficia, variaeque media adhibuerat, quibus eos emendaret et in viam salutis reduceret. Illi tamen hisce nihil emendati, adhuc *consilium inierunt, ut Jesum caperent in sermone*, et sic causam mortis in eo invenirent. Certe pessima retributio; unde etiam tam severe a Deo urbis suae excidio puniti sunt in exemplum ingratorum.

e. — Pharisei, auditis parabolis de vinea locata agricolis, *Math.*, xxi, ac nuptiis filii Regis, digressi a loco sermonis Domini et proinde seorsum ad secretum locum, ad inveniendum consilium recesserunt, ut notat Abulensis, malitia pleni et illo tempore sceleratores, ut notat D. Chrysostomus, *Hom.* lxxi, quando maxime illos oportuit compungi, quando clementiam illius admirari debuerant, quando futurorum eventus erant expavescendi. Tanta tamen fuit Phariseorum malitia, quod auditis hisce parabolis et minacibus verbis: *Malos male perdet; et iterum: Perdidit homicidas illos*, minime commoverentur, ut a sua malitia desisterent. Ut proinde bene de illis propheta veritatis Jeremias, *Thren.*, iv, 6: *Major effectus est iniquitas filiae populi mei, peccato Sodomorum quae subversa est in momento.* At unde horum malitia major praesertim cum hi sub lege viverint Dei, cum templo et sanctis Prophetis, quibus Sodoma caruit? Inde nimirum, quod cum haec adminicula salutis haberent, Dei scientiam, legis notitiam, rerum divinarum contemplationem, nihilosepe turpissime peccarint; haec autem omnia ipsum peccatum valde aggravant, ipsosque peccatores inexcusabiles efficiunt? Quos, cognita eorum nequitia, hypocritas vocat. Qui enim lumen Dei habentes peccant, merito sic arguuntur. Si enim vita virtuosus, si opera perfectionis, quibus antea dediti eratis, in tenebras conversa sunt malitiae; quis conceptus formari poterit de subversione et inordinatione sensuum, lascivorumque vestrorum

appetitum, quibus habenas laxatis? Unde S. Augustinus, qui durturam hujus materiae habuit experientiam, audacter ita scribit: « Fateor charitati vestrae coram Domino Deo nostro, qui testis est super animam meam; ex quo Deo serire cepti, quomodo difficile sum expertus meliores, quam qui in monasteriis profecerant; ita non sum expertus peiores quam qui in monasteriis ceciderunt; ita ut hinc arbitrer in Apocalypsi scriptum: *Justus justior fiat, et qui in sordibus est sordescat adhuc.* » Medicorum hic est infallibilis aphorismus: « Corruptio optimi pessima; » siquidem ut Cornelius a Lapide observat: « Pelagius, « Eutyches, Nestorius, Jovinianus, Lutherus, Bucerus, Petrus Martyr, fuerunt Monachi; sed apostatae facti sunt heresiarchae. Simile de Athe-nisibus, apud quos vigeat sapientia et probitas, dicit Plutarchus in vita Dionis, eos esse optimos aut pessimos. Sicut Attica praestantissimum mel, sic et exitiale venenum progignit. »

d. — Quomodum sancti Patres concilia cogere solent quibus malis in Ecclesia grassantibus remedium adhibeant; illa e contra filii diaboli cogere etiam conciliabula solent, in quibus communicato cum satellitibus suis consilio, flagitia sua perficere valeant. Sic parricida Absalon, paternam regnum invadens, ait, *1 Reg.*, xvi, 20: *Inite consilium quid facere debeamus.* In eo autem consilio tractandum erat, qua ratione sapientissimo patri Davidi vitam simul et regnum eriperent. Simili ergo modo Pharisei pleni livore et invidia, consiliabant, quomodo Christi regnum, ejusque famam et vitam diminuerent, ut cujus vitam et mores accusare non possent, neque divinae legis ignorantiam objicere, saltem in lapsu verborum et sermonis deprehenderent et calumniose accusarent. Vide hic perillustre semen Abraham de saevissima fraudis ignominia, quam ignobili a se comparatione degeneret; de quo sit ad rem S. Chrysologus, *Serm.* xxxi: « Vere sic scriptum est: *Progenies viperarum.* Submittabant capita sua, adlabantur lingua, vulnera dabant dolis, blasphemis venena fundebant, et quasi non sufficeret, ad dolum contemptus, despectus ad injuriam. Sic Christum persequabantur injuriis, tentabant dolis, interrogatione pulsabant, appetebant contumelias et tota cupidi simulatione vallabant. » Objiciebant censum solvendum Caesari; ut si diceret, quod non, laese majestatis reus fieret; si vero ita, de lege maneret calumnia. Verum laqueum quem paraverunt pedibus ejus, in eumdem incidissent; capiti sunt verbis suis, confusi sunt, nec poterunt stare. Interrogationem interrogatione confutat, et sapientia vincit malitiam, et Moysis serpens Magorum devoravit serpentes. Plerumque enim impii in suis perversis consiliis deluduntur, malumque, quod aliis machinantur, in ipsos recidit. Dionysius Car-

thusianus super illa verba Ecclesiastae, x, 8: *Qui dissipat sepe, mordebit eum coluber*, scribens, illudque Sapientis dictum adducens: *In insidiis suis capiuntur iniqui*, hunc in modum discurrit: « Unius cujusque malum redundat in suum auctorem, et propriam linguam detractor coinquinat, propriam mentem invidiosus exulcerat, seipsum iracundus conturbat. Qui vitiorum occasiones non vitant, sed sponte assumunt, sibi ipsis foveam parant et in eam labuntur. » S. Augustinus explicans illa verba Psalmi vii, 16: *Lacum aperuit et effodit eum*, interrogat dicens: « Unde fieri potest ut iniquitas prius laedat hominem justum in quem procedit, quam cor injustum, unde procedit? Itaque fraudator pecunie, verbi gratia, dum cupit alium damno laedere, ipse avaritiae vulnere sauciatur. Quis autem, vel demens, non videat, quantum inter hos distet, cum ille patiatur damnum pecuniae, ille innocentiae? »

e. — Pharisei et Principes Sacerdotum, omni conatu volebant Christum occidere, ut scribit D. Lucas et observantes, miserunt insidiatores, ut caperent eum in sermone. Timebant tamen populum, et ideo non audebant eum tenere ac apprehendere, ut scribit D. Mattheus, xxi, 46. Volebant ergo habere occasionem ad eum accusandum, et non determinatum ipsum capere in operibus et factis, quia aperte videbant, vitam ejus esse puram, et sanctam, et irreprehensibilem. Voluerunt ergo eum capere in sermone, ut diceret aliquid, propter quod reus esset mortis; nam saepe inter dicendum et loquendum, praeter opinionem ac intentionem, inter homines communiter proslit aliquid verbum incautum. An ita hic contingeret, observare voluerunt Pharisei proposita captiosa ac periculosa questione. Nam praxis difficilis est ut quis silentio, virtutis indicio, linguam frenet; tacendo autem quilibet bene loqui discit. Nobis impressus est pruritus loquendi cum tali propensione, ut facilius sit, ignitum in ore gestare carbonem, quam frenare linguam et retinere mente, id quod proferre et dicere volumus; cujus opinionis jamdudum fuit Aristoteles. Etenim interrogatus a quodam, quis arcanum sermonem retinere posset? Respondit: « Qui carbonem quoque ignitum, lingua retinere potest. » Elio, velati legitur, *cap.* xxxi libri *Job*, in simili proposito dixit: *Plenus sermonibus, et coarctat me spiritus uteri mei. Et venter meus quasi mustum absque spiraculo, quod lagunculas novus dirumpit. Loquor et respirabo paululum; aperiam labia mea.*

Porro quilibet homo merito capere deberet, majus sibi conferre emolumentum tacere, quam loqui, quia in silentio homo discit; at in loquacitate plerumque cessat et errat. S. Bonaventura, postquam retulisset sanctissimam Dei Matrem non nisi septem vicibus, prout ex sacris eruitur Evangelistis, locu-

tam fuisse, pro nostra instructione subdit sequentia: « In hoc confunditur nostra loquacitas, quae proni sumus ad multiplicationem verborum, cum tamen magna sit utilitas silentii. Una utilitas est, quia inducit compunctionem; homo cum tacet, cogitat vias suas et locum habet cogitandi, quam multiplex sit suis defectus et ex hoc surgit compunctio. »

f. — Malitia Phariseorum, qui *consilium inierunt ut caperent Jesum in sermone*, vel ut Graecus habet: *Ut illaquearent eum cum suo sermone*, non de repente erumpit, sed ex praesensilio venit, unde nocentior est, et flagitiosior, tardioreque veniam invenit. Enimvero de peccato ex surreptione commisso, aliqua supplicatio excusat, quia peccatum hoc dici potest non esse peccatum. At per quod ex industria committitur, de hoc se impio coram Deo excusare nequit et dicere: *Tu scis figmentum meum.* Peccatum ex malitia, deliberate et cum studio, ac praemeditatione commissum, Sacra Scriptura variis in locis magnopere detestatur. Et quidem Deus in Psalmo vi, 9, per os Davidis ait: *Discedite a me omnes qui operamini iniquitatem.* Et tamen constat quod postquam Deus fuit incarnatus, nihil adeo studiose quaesierit, quam ut peccatores incitaret ad sibi magis approximandum. Unde David, *Psal.* xxxiii, 6, monebat, dicens: *Accedite ad eum et illuminamini;* et de Christo expresse in Evangelio dicitur, *Luce.* xv, 2: *Hic peccatores recipit.* Maligni quoque Pharisei murmurabant, dicentes: *Cum Publicanis et peccatoribus manducat Magister vester;* imo ipsemet protestatus est, *Math.*, ix, 11, dicens: *Non veni vocare justos sed peccatores; non est opus valentibus medicis, sed male habentibus.* Cur igitur in hoc Psalmo dicitos peccatores a se repellit, dicens: *Discedite a me*, quod quasi aequale formidabili illi sententiae, quam in extremo die iudicii adversus reprobos est pronuntiaturus? Pro intelligentia illius, considerandum est significatum verbi illius: *Operamini*; nec non quod idem verbum in tempore praesenti proferatur; per hoc enim detestantur illi, qui data opera et studio, incessanter, ac continuo nihil aliud faciunt, nihil aliud cogitant, quam quod de committendis iniquitatibus agitent consilium; et hi sunt, qui aeternam merentur maledictionem, quibusque dicit: *Discedite a me.* Spes enim salutis ipsorum nulla est, vel exigua. Praeterea *operamini iniquitatem*, idem significat, quod facere professionem de committenda iniquitate; adeoque omnem amissionem Dei respectum et timorem, omnemque exuisse verendum. S. Ambrosius, super illa verba Psalmistae, *Psal.* cxviii, 125: *Discedite a me, maligni, et serventur mandata Dei mei*, ita scribit: « Ubi malignitas est, tibi custodia mandatorum caelestium esse non potest. » Citatque textum illum: *Quaerent me mali et non invenient.* Paulo post vero idem S. Doctor subnequit: « Malignos

« repellit, laborantes vocat; dicit illis Jesus: *Discedite a me, omnes qui operamini iniquitatem*; istis ait: *Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis*. Non utique malignitate mentis, sed infirmitate carnis oritur. » Vocat ad se illos qui ex fragilitate cadunt, non vero illos qui ex malitia illum contemnunt.

g. — Pharisei sperabant quod Jesum ad profendum verbum aliquod inducere possent, unde mortem ei machinari ipsis liceret. Lingua enim ad prævaricandum lubrica est et facilis; et ideo Propheta regius, jure merito, ori suo a Deo custodiam adhiberi petiit, dicens, *Psal. cxi. 3: Pone, Domine, custodiam ori meo*. S. Bernardus de illa dicit: « Est membrum prorsimum omni malo, quod quidem natura ipsa ostendit, cum in lubrico, id est, in humido posita sit. » Qui idem in eodem sermone, de *multiloquio*, paulo ante dixerat: « Lingua in hoc humido collocatur, ut ex parte nostra ostendatur, lubricam esse linguam; propterea de facili labitur in peccatum. » S. Thomas de Aquino, super illa verba S. Jacobi Apostoli linguam appellantis, *inquietum malum*, dicit linguam inquietam esse, « quia est membrum labile et lubricum, quia consistit in humido, unde non ita cito fatigatur sicut aliud membrum. » Verum enimvero advertendum est, quod licet lingua una ex parte lubrica sit et facilis ad motum, suaque natura ad malum inclinata, attamen Deus naturæ artifex eandem naturaliter variis munitionibus circumvallat, ut eam tueretur et custodiret; ac proinde David dicebat: *Pone, Domine, custodiam ori meo*. Ubi Euthymius in Glossa citatus ait: « Sciens Propheta, quod os magna malorum causa esse solet, si negligatur; quemadmodum et contra multorum causa honorum, si cura ejus adhibeatur, ex intimo corde preces fundit et Deo opem invocat. » Ad quod intentum S. Bernardus respicit quando, postquam de linguæ lubricitate discurrens fusiis, subiungit dicens: « Sed ad hanc lubricitatem refrenandam, etiam ipsa natura remedium ordinavit, nam cum cætera membra, sicut manus, pedes, oculi, aures, et nares, et plura alia membra in patulo facta sint, lingua tamen ab ipsa natura, propter suam pronitatem, et feritatem, quasi quidam crudelis et stultus in carcere oris tam arte reclusa est. »

h. — *Tunc abeuntes Pharisei, constitum inierunt*, quando illos maxime compungi oportuit, quando clementiam Domini admirari debeuerunt, quando ob ipsa supplicia comminata debebant moveri, gratulantes Dei pietatem, quæ sic eos commonebat, dans locum penitentiae et veniæ. Sed hæc, sæpius ab hominibus contemnitur miseratio divina. S. Apostolus, priusquam diceret, *Rom., ii. 4: Ignoras quoniam benignitas Dei ad penitentiam te adducit?* nos jam ante his verbis reprehenderat: *An divitiis bonitatis ejus, et patientiæ, et longanimitatis contem-*

nis? Quæ verba Apostoli S. Anselmus ita exponit: « Hoc dicit Apostolus blandiens, ut ad penitentiam provocet. Dives esse monstratur et patientia ejus, qui tot et tanta mala facientes, patienter sustinet. » Dives est longanimitas ejus, quoniam non statim « punit eos, sed expectat ad penitentiam per multa tempora. Sed has divitiis bonitatis et patientiæ et longanimitatis contemnit, qui sic utitur eis non ad penitentiam, ut Deus intendit, sed ad vanam securitatem vertit, æstimans Deum aut non curare res humanas, aut donare quod differt. » Quibus verbis negligentiam reprehendit illius, qui extra Dei gratiam vivens, bonitatem Dei non applicat ad finem illum, propter quem ab eadem toleratur, sed potius exinde movetur, ut in æternam damnationem se præcipitet. Subdit vero idem S. Anselmus: « Ignoras, id est, non cogitas, quoniam benignitas, id est, pia misericordia Dei, « *adducit te*, quantum in se est, ad penitentiam, dum tibi spatium adhuc temporis indulget? Ipsa te provocat ad penitentiam, sed tu *secundum duritiam tuam et impenitentem cor, thesauris tibi iram*, quia durus es et in malitia tua pertinax, de qua nec corde penites. »

Oseas Propheta Deum nobis iracundum representans, inquit: *Non faciem furorem iræ meæ, non convertam, ut disperdam Ephraim, quoniam Deus ego et non homo*. Ubi Rupertus Abbas eam que inter Dei hominisque iram versatur, in hæc verba assignat differentiam: « Statim ut locutus sum adversum te malum et crudelem protuli sententiam, tetigit me pietas, vincente me misericordia, veluti auctoritatem judicii pietas mitigat patris. » Homo dum irascitur, accepta injuria profunde læsus eo totus intendit, ut vindictam exigat et de penis satietur ejus, qui læsit. Nec enim penitentiam, sed solum querit vindictam. Ego autem « Deus sum in medio tui Sanctus, non pro furore vindictam aut penam, sed, pro misericordia, peccatorum desidero penitentiam. » Id quod ex illo quem Deus in hos puniendos servat, confirmari potest modo. Si namque Deus ex pietatis motivo sua sæpe odit supplicia ad nostri emendationem; quidni ipsam gratias suas, bonitatem, benignitatem, ac misericordiam, ad eundem finem dispositurum esse credemus.

i. — *Ut Jesum caperent in sermone*. Insigne profecto stratagema, quo quia lingua nihil incautus, eo majorem sibi promittebant certitudinem de Christo triumphandi. Lingua enim laqueus periculosissimus, ut vix illum evadere possimus. Utitur et eadem sepius dæmon, alios capiens in blasphemis, tanquam lingua sibi propria; alios in calumniis; alios in detractioe, murmuratione et maledictione; alios in rerum turpium enarratione.

j. — Multa jam Pharisei contra Christum objecerant, quod nimirum esset vini potator, quod cum

Publicanis, ac peccatoribus manducasset. Sed primum evidenter erat falsum, secundum autem nullum admittebat defectum, sed erat summa sanctitas, religio ac pietas, et quamvis ab ipsis Phariseis judicaretur malum, non tamen ideo erat morte dignum. Ut tamen nocerent et aliquid morte dignum invenirent, voluerunt Jesum capere in sermone, lingua utentes pro instrumento, hanc enim communiter, sicut et hic sole, pro instrumento assumere invidia, cujus partus detractio est. Nam, ut beatus Laurentius Justinianus ait: « Frequenter face æmulationis et invidiæ livore quorundam accendit animos. Repleti autem hujusmodi diabolica malignitate et invidiæ sagitta transfixi, profectum fratrum suorum proprium judicant detrimentum. Propterea insurgente livore, detractioibus linguæ habenas laxant et vitam proximorum murmurationibus dilaniare non cessant, observant gressus, verba discutiunt et mores illorum quibus invident, semper diducunt, eorum derogant devotionibus, eorum virtutibus læcessunt, eorumque bonis operibus affliguntur. » Richardus de S. Victore, de *eruditione interioris hominis* disserens, et ipse hoc vitium detractiois invidiæ affine esse, his verbis asserit: « Familiare est invidiæ alienam vitam reddere et morsibus obstrectationem lacerare. » Invidi enim bonam opinionem et existimationem virtutis, et operum insignium æmulationum suorum tolerare nequeunt, ac proinde eadem quoad possunt depravare satagunt.

VERSUS 16.

Et mittunt ei discipulos suos cum Herodianis, dicentes: Magister, scimus quia verax es, et viam Dei in veritate doces, et non est tibi cura de aliquo, non enim respicis personam hominum.

Et mittunt ei discipulos suos.

1. — « Quasi minus notos, » inquit Beda, « atque suspectos; a quibus » proinde, ut Interlinearis ait, « minus caveret. » Dionysius Carthusianus eos sibi persuasisse dicit, Christum illos minime cogniturum esse: Quos proinde miserunt, ut *malum nihil suspicans, loquatur liberius*. Lyranus eandem rationem reddit, dicens: « Ut coram ipsis audacius loqueretur et laxaret linguam ad aliquid dicendum, unde posset capi. » Si enim Pharisei eum in persona propria convenissent, ait S. Thomas, haberi ab ipso potuissent suspecti: « Dolose interrogare voluerunt, unde si vissent ipsi, non haberet locum dolus. » Theophylactus scribit: « Per insidias, hæc fiebant; » ac proinde S. Lucas eos insidiatores appellat.

2. — Salmeron aliud quoddam tangit motivum, quod ab opinione aliorum Interpretum non multum dissentit: « Non audent, » inquit, « ipsi Pharisei

« per seipsos Dominum aggredi, ne videlicet toties « confusi, denuo confundantur. » Auctor Imperfecti, *Hom. xlii*, dicitam Bedæ opinionem sequens, quod scilicet discipulos miserint, « quasi adhuc minus cognitos et minus suspectos » subiungit: « Ut aut abscondite facile deciperent eum, aut « deprehensi minus erubescerent apud eum. » Similem quoque rationem Albertus Magnus adducit, scilicet quod superbiam suam tueri cogitarint: « Ut discipulis victis non sit confusio, quasi parum « instructis et vincentibus discipulis major sit gloria. » Salmeron addit: « Ut major esset Christo « ignominia, si a talibus vincebatur, minor gloria, « si vinceret. »

3. — Erant hi Pharisei: scholæ discipuli, in illorum erroribus et præcipue in arte fingendi apprimè edocti; unde Christus eos non sine ratione hypocritas vocat. Auctor Imperfecti ait: « Magister « suis ætate minores erant, malitia autem pares; » adducitque concinnam a pulis serpentum et luporum catulis, in ætate tenera constitutis, deductam similitudinem: « Nam et pulli, » inquit, « serpentium, statura breviores, veneno autem æquales « sunt; et catuli luporum adhuc teneri constituti, « etsi venationem exercere non possint, jam tamen « sanguine gaudent et morsibus ludunt. » S. Lucas, *xx, 22*, ait: *Miserunt insidiatores, qui se iustus simularent*; veniebant in vestimentis ovium, intractos lupi. Salmeron dicit: « Qui simularent se teneri « studio justitiæ et sollicitudine cognoscendi, quid « justum et quid secus; » nimirum quales Magistri erant, tales et discipuli: « Non enim potest arbor « mala bonos fructus facere. »

Cum Herodianis.

1. — D. Chrysostomus, *Hom. lxxi in Matth.*, hos putat Herodis fuisse milites, qui ob vicinam Paschatis solemnitatem illis diebus in Jerusalem erant: « Mittunt discipulos suos cum militibus Herodis, sic « interrogaturos, ut atrinque prærupta præcipitia « laerent, ut quidquid responderit præcepit ruat. » Ardenter quidem ad mortem Redemptoris anhelabant, in aperto tamen insidias ei struere, ob populimetum minime audebant. S. Bonaventura ait: « Quod præ timore populi per se non possunt, « manibus præsidis efficere volunt, ut velut immunes a morte ipsius videantur; » Herodes porro ab Imperatore ad tributorum exactationem deputatus erat, ideoque sperabat fore, ut, si Christus contradiceret, hi milites illum, veluti læse majestatis ream, vinculis constrictum abducerent, unde idem quoque unum ex præcipuis delictis erat, de quo ipsum coram Pilato accusarunt, dicentes, *Luc. xxiii, 2: Hunc invenimus subvertentem gentem nostram, et profubentem tributa dari Casari*. S. Hieronymus ait: « Ut statim audientes Herodiani, seditionis « contra Romanos principem teneant; » at vero si

tributum istud Cæsari deberi respondisset, contra ipsum, velut communis boni hostem, odium populi, tributum hoc quasi notabile onus et gravamen interpretans, conciliare cogitabant, culpando ipsum, ut religioni et libertati, quam Hebraismus profitebatur, male affectum; nam gens illa, velut peculiaris Dei populus, ab eo dependere, ipsique immediate et non aliis tributarius esse præledebat.

5. — Cornelius a Lapide Evangelistam hic de speciali Judeorum secta loqui credit, quæ, ut Cæsari favens, tributum hoc ei deberi mordicus sustinebat; credibile namque est, illos hoc titulo specialiter a Phariseis deputatos fuisse, quia scilicet Herodis partes sectabantur, ad quam tributi illius exactio spectabat; Pharisei igitur, licet sectam profiterentur diversam, hos tamen adversus Christum instigarunt, ut eum per hosce inimicos ad lapsum mortalem disponerent. S. Epiphanius et alii putant, hosce Herodis, quem promissum in lege Messiam æstimabant, sectatores fuisse, et consequenter futuros esse contrarios.

6. — Hugo Cardinalis, in *Marc.*, de hisce Phariseis et Herodianis in sensu spirituali ita scribit: « Significatur duo genera tentationum sive cogitationum, quas diabolus sæpe immittit ut capiat Jesum, id est, salutem auferat. Pharisei enim interpretantur divisi, et significant tentationes sive cogitationes singularitatis, quas sæpe immittit diabolus, ut homo a communitate se separet, vel plus vel minus aliis faciendo, utrobique singularitas, utrobique periculum. Herodiani gloriantes in pellibus, significant motus inanis gloriæ eorum, qui de pelle macerata insurgunt, vel de habitu vili, qui et Jesu, id est, salutem insidiantur. »

Dicentes : Magister.

7. — Hanc denominationem fidei ab iis Christo datam fuisse, ex verbis prioribus clare deducitur, Evangelista dicente: *Mittunt ei discipulos suos*; ex quo enim Phariseorum scholares erant, ipsosque magistrorum loco agnoscerent, Christo utique simulate dixere : *Magister*.

8. — Albertus Magnus eos in verbis suis quatuor præcipue adulationis motiva tetigisse notat, quorum primum magisterium ipsius respiciebat : « Blandiuntur a quatuor, ab auctoritate magisterii, a veritate sermonis, a soliditate doctrinæ, a rectitudine iudicii sine personarum acceptione. »

Scimus.

9. — Divus Chrysostomus, *Hom. xli in Matth.*, hoc verbum ponderans, Phariseis magnam ipsorum malitiam impropert, dicens : « Vos dicitis : *Novimus, quia verax es*; quomodo igitur dicebatis : *seductor est, et seducit turbam, et demonium habet, et non est a Deo?* quomodo eum paulo ante interficere volebatis? »

10. — Hoc verbum eos omnino reddebat inexcusabiles, siquidem ipsi se per ignorantiam non peccare, declarabant; et ideo Christus primo quidem de Gentilibus ita dicit, *Jou., xv, 21*: *Hæc omnia faciunt vobis propter nomen meum, quia nesciunt eum, et qui misit me*; moxque de Hebraeis inquit : *Si non venissem, et locutus non fuisset eis, peccatum non haberent, nunc autem excusationem non habent de peccato suo; si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent; nunc autem et viderunt, et oderunt me, et Patrem meum.* Quando Christo dixerunt : *Scimus quia verax es, etc.*, id ipsum non est factum in principio prædicationis ejus, quando se per patrata plurima insignia miracula et vitæ exemplaritate, nec non Evangelii promulgationem, quis esset, manifestaret, sed biduo ante passionem ejus, contingit, quando, dummodo voluissent, plenissimam veritatis scientiam, sive notitiam habere poterant. Unde et Christus exprobrabat : *Et me scitis, et unde sim, scitis, et quidem ut hæc eis verba tanto fortius imprimerentur, ut Evangelista ait : Clamabat in templo, docens et dicens.*

Quia verax es.

11. — Per hanc adulationem, ut Interlinearis ait, sensum suum sincere ut ediceret, efficere nitebantur, utpote qui eos jam reputare poterat discipulos suos, ejus doctrinæ firmiter adhesuros : « Ut quasi laudatus, mysterium sui cordis aperiat, eosque velit habere discipulos. » Eandem quoque considerationem habet Hugo Cardinalis, in *Luc.*, inquit : « Laudant et blandiuntur, ut tanquam a simplici et idiota, extorqueant ab eo secretum cordis sui, putantes, quod velit eos habere discipulos, sed frustra, quia non quærebant laudes hominum. »

12. — « Universa hæc laus, » inquit Cajetanus, « ex adulatoria officina ad provocandum Jesum, » more apud profere Deum Cæsari procedit; ne apud convenisse videntur, que placidum portant in ore mel, sed ferientem et vulnerantem in cauda aculeum.

13. — Considerans Chrysostomus adulationes hosce ad intendendam Christum mortem ordinatas fuisse, scribit : « Ita furor quidem spirabant, et fraudem sub cultus simulatione instruebant; » hicque viget inter deceptores agendi motus, primo enim bonos præmittunt sermones, ad virtutem exhortantur, zelum et desiderium præseferunt profectus spiritualis, idque eo fine, ut bona apud proximum de se existimatione comparata, tanto postea facilius errores suos cordibus instillent; de quo hominum genere Sapiens ita scribit, *Prov., xxx, 9*: *Homo, qui blandis fectisque sermonibus loquitur amico suo, rete expandit gressibus ejus, et talis lingua laudans, sicut novacula acuta fecit dolium.* Psalmista pariter

inquit, *Psal. lrv, 22*: *Molliti sunt sermones ejus super oleum, et ipsi sunt jacula*; ita hi adulatorem blanditiis suis non Christi integritatem aut sanctitatem magnificare, sed verbum extorquere volebant a Christo, scilicet ut diceret, non esse tributum dandum Cæsari, siquæ odium incurreret Cæsaris. « Illud solummodo sibi propositum fuit, » inquit Chrysostomus, « quomodo præsentis principatui a hostem esse ostenderent, ac Principi quasi seditionum traderent. »

14. — Hugo Cardinalis super Marcum scribens, proposito nostro accommodatam adducit similitudinem, eorum scilicet, qui tauro blandiuntur, ut capiant eum : « Qui taurum non potest viribus subjugare, » inquit, « mollibus manibus fricat caput ejus, ut per blandimenta comprehendat; » utitur deinde hoc Sacra Scripturæ textu, *Prov., xxvii, 14*: *Qui benedicit voce grandi proximo suo de nocte consurgens, maledicenti similis erit.* Adulatio potentissima est inimici infernalis machina, ad plurimas, etiamnum perfectiores, evertendas animas; ideo Salvatorem adorans in deserto, ut lapides, quos manu ferebat, in panem mutaret : *Si Filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant*; eum Filium Dei esse minime arbitratur, certus, talem non posse fame emori; sed reputans eum crimine hominem esse sanctitatis, tali sub forma aggreditur : *Si Filius Dei es*; non vero simpliciter inquit : Quandoquidem longa jam fame contabescis, miraculum operare, et lapides in panem verte. « Non dixit : Quandoquidem dem esuriat, » inquit Chrysostomus, « sed, si Filius Dei es; scilicet existimans, posse se aliquid per laudum blandimenta suffurari; idcirco non commemoravit esuriam, ne hoc ei quasi exprobrare et objicere videretur. » Hoc enim adulatoris est artificium, non meminisse alterius, quam quod ejus, qui assentatur, genio et gestui placitum est. Pharisei quoque conceptum de Christo habebant, verbis suis longe adversum et contrarium, altamen in iis proprias expresserunt adulatorum conditiones, quarum una hæc et præcipua est, quod vitia et defectus suos sibi virtutis larva recondant; interim : *Laudatur peccator in desideriis animæ suæ, et iniquus benedicitur.* *Psal. x, 3.* S. Gregorius in quadam homilia sua hanc proposito nostro congruam habet sententiam : « Adulatoribus vulnera nostra lingere, est, quod plerumque solent etiam ipsa mala, quæ nos in nobis reprehendimus, improbo, favore laudare. »

15. — Lyranus horum discipulorum hypocritarum detestans, dicit : « Hæc est hypocritarum prima simulatio, quia laudant quos perdere volunt; » unde de iis dicere potuit, quod David, *Psal. ci, 9*, ait : *Tota die exprobrabant mihi inimici mei, et qui laudabant me, adversus me jurabant.*

16. — S. Bonaventura in commentario super Lucam, illos quidem verum dixisse perpendit, dum

inquit : *Quia verax es*; interius tamen minime credidisse dicit : « Quantum ad verbum, verum quidem dicunt, quia dicitur : Sermo tuus veritas est; laudant laude vera, sed fallaci corde. »

Et viam Dei in veritate doces.

17. — S. Thomas, in *Caten.*, super hæc verba distinctionem adducit; dicit enim : « Tripliciter contingit, veritatem non docere : primo, ex parte docentis, quia scilicet veritatem vel non novit, vel non amat; et contra hoc dicitur : *Scimus quia verax es*; secundo, ex parte Dei, cujus timore postposito quidam veritatem de eo, quam novimus, non pure annuntiant, et contra hoc dicitur : *Viam Dei in veritate doces*; tertio, ex parte proximi, cujus timore vel amore aliquis veritatem tacet, et ad hoc excludendum dicitur : *Non est tibi cura de aliquo, scilicet homine; non enim respicis personam hominum.* » Utique discipulis istis nec sapientiores nec veraciores se habuissent alii, suumque coram Deo meritum sibi acquisissent, si verba hæc ita veraciter ex corde protulissent, sed *Psal. lxi, 5*: *Ore suo benedicebant, et corde suo maledicebant*, id quod adulatoribus et hypocritis proprium est.

18. — Veraciter dicere possumus : *Inimici nostri sunt iudices*; quia veritatem edixere solidissimam, maximum et fundamentale Ecclesiæ principium : *Viam Dei in veritate doces*; Christus namque Evangelii sui veritate, dogmatum uniformitate, et sacrarum Scripturarum infallibilitate, veram nos docuit in cælum viam; reliquæ omnes sectæ, quotquot unquam fuerunt, aut usque in finem mundi erunt, sunt, eruntque errorum plene, sibi que invicem contrariarum; de sola autem Catholica Romana doctrina verificari potest : *Viam Domini in veritate doces.*

19. — Hugo Cardinalis, in *Marc.*, conformiter Sapienti, *Prov., iii, 17*, juxta sensum spiritualem, per hanc viam, virtutem intelligit : « *Via ejus, via pulchra*; virtutes doces, mandata : *Psal. cxviii, 32*: *Viam mandatorum tuorum cucurri*; penitentiam : *Isa., xxx, 21*: *Hæc est via, ambulat in ea.* »

Non est tibi cura de aliquo.

20. — S. Hieronymus inquit : « Blanda et fraudulenta interrogatio illuc provocat respondentem, ut magis Deum quam Cæsarem timeat. » Non potuisset equidem sanctus et perfectus adduci motivum, modo id intentionis rectitudinem comitem habuisset; unde et postmodum S. Petrus testatus est, dicens : *Obedire oportet magis Deo quam hominibus*; ast qua malitia et perverso hæc verba fine protulerint, S. Hieronymus declarat, dicens : « Ut dicit, non debere tributa solvi, ut a statim audientes Herodiani, seditionis contra Romanos principes tenent. »

21. — Hugo Cardinalis verbum istud ingeniosa refutat responsione, inquit: « Non est tibi cura de aliquo, imo de omnibus curat. » *Sap.*, vi, 8: *Cui cura est de omnibus*; id quod et S. Augustinus, ad Deum conversus, attestatur, dum ait: « Sic a curas: unicuique nostrum, tanquam solum a curas: nam omnes, tanquam singulos. »

Non enim respiciat personam hominum.

22. — Quasi dicat: « Non dimittes timore a cuiuscumque hominis, etiam Imperatoris, » inquit Lyranus, « dicere veritatem. » S. Thomas similiter ait: « Non prætermittis timore alicujus quod debes dicere vel facere. » Nihil hic a veritate alienum assererent, quia Christus veritatem dicere nunquam destitit, licet magnatibus et republicam gerentibus sæpe displicuerit, ac proinde Principum synagogæ, Sacerdotum et Pontificum invidiam et odium sibi conciliarit, hi vero traditores discipuli, licet vere, qualis Christus erat, dicerent, neque ipsum ut talem reputabant.

23. — Salmeron e spinis rosam collegit, dum ab hac Phariseorum adulatione ad ponderandum, quanti intersit, a personarum acceptione alienum esse, pertransit: « Magna, » inquit, « hæc est et singularis virtus, ubi negotium Dei agitur, vel de a iustitia cuique reddenda tractatur, carere vitio a acceptionis personarum, quo vitio iudex, qui non a est spoliatus, non potest recte administrare magistratum; hoc autem vitium tunc committitur, a quando magis ad personam solam, vel ad extrinsecam se respicimus, quam ad merita cause ipsius. » In Deuteronomio, 1, 19, Deus populi sui iudicibus hocce dat monitum: *Audite illos, et quod iustum est, iudicate; sive civis sit ille, sive peregrinus, nulla erit distantia personarum; ita parvum iudicetis ut magnum.* Apostolis quoque suis, qui ejus in iudicio finali futuri erant assessores: *Sedebunt super sedes, iudicantes duodecim tribus, lucis titulum attribuit dicens: Vos estis lux mundi;* lucis autem proprietatis hæc est, quod se æqualiter diffundat ad illuminandum tam divites quam pauperes, Principes æque ac subditos: *solum suum oriri facit super bonos et malos;* et ideo supremus Iudex ignem prodromi loco habiturus est, dum ad iudicium venit: *Ignis in conspectu eardem;* nec sine mysterio elementum hoc ante ejus tribunal præcedet, sed ut per hoc denotetur, quod non respiciat personam hominum, quia ignis ex æquo comburit et consumit scricum et lanam, sagum et purpuram, nec respicit, quid vel quale quidvis sit; ita quoque cui iudicis munus incumbit, facere debet; solum namque ad iustitiam et merita cause respicere, non vero personarum qualitatem decernere debet.

Adiciones.

a. — *Et mittunt ei discipulos suos, cum Herodianis.*

Auctor Imperfecti, *Hom.* xii, sic ait: « Pharisei a quo abierunt? Ad Herodianos. Qui in diaboli a iniquitatibus ambulat, diaboli adiutorium neces-sarium habent. Sic et isti convenienter, non ad a servos Dei, viros religiosos, sed ad Gentiles, id a est, Herodianos se contulerunt. Quis enim poterat a mediante lethale toti humano generi infixit vulnus. *Mulier, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, et comedi.* Non ipse immediate per se diabolus a aggreditur Evam, sed medio serpentis. An forte in a Adami et Evæ perniciem et seductionem, non a poterat totum conjurare infernum? Poterat utique; sed medium omnium efficacissimum, maximeque infallibile, sociam seu consortem fore iudicavit. Sed a quare hanc ipsam non immediate per se diabolus a tentavit, atque seduxit? Aquila et Theodotus pro *callidior*, legunt *versipellis*. Non defuere auctores qui serpentem hunc pulcherrime adolescentule figuram assumpsisse existimant, de ejus opinione quidquid sit, certum est serpentes naturali hoc pollere instinctu ut se per tortuosos, artificiososque gyros insinuent, per adulatorios, blandosque motus sese ingerant ubique; hancque ob causam illecebras designant et lenocinia sodalium et amicum. Hæc igitur de causa noluit demon ipsemet a immediate nostrum aggredi et devincere protoparentem, sed per Evam et serpentem, certus sociorum alque amicorum malorum vires prevalere suis. Assertum meum a mendacio liberat S. Gregorius, dum ait: « Callidus adversarius cum a bonorum cordibus repellit se conspicit, eos, qui ab illis a valde diliguntur, exquirat et per eorum verba a blandius loquitur, qui plus cæteris amantur. » Cujus efficacem hanc assignat rationem, dicens: « Ut dum vis amoris cor perforat, facile persuasionis a ejus gladius ad intima recluditur prava; quare a enim non ante diabolicum consilium illi tale a quid venit in mentem, nec lignum hoc considerat a ravit, ejusque pulchritudinem vidit? Quia timebat a mandatum Dei et securitum supplicium. Nunc

a antem postquam a mala hac bestia decepta est, a ita ut crederet, quod per hoc, non solum non a offendantur, sed et Deo æquales sint futuri, tunc a illam spes promissionis ad sumendum cibum a impulit, inimico et hosti salutis nostræ majorem a fidem habens, quam verbis Dei. » Deinde Sanctus a ad amicitie et perversæ societati violentiam efficaciamque attendens, his Evam deviam et prævaricatricem perstringit verbis: « Quare illo relicto, a propter quem formata es, ad cuius auxilium a producta es, cuius dignitatem particeps, et cum a quo ejusdem es substantiæ et vocis, in familiaritatem serpentis venire sustinisti, ut a diabolo a per hanc bestiam acciperes consilium, manifeste a contrarium his, quæ a Deo sunt injuncta? »

b. — *Magister, scimus quia verax es. Ecce moliti sunt sermones eorum super oleum, et ipsi tamen sunt jaculi.* *Psal.* lrv, 22. Accedentes enim discipuli a Phariseorum ad Christum cum Herodianis, blandis et adulatoriis vocibus dicunt: *Magister, scimus quia verax es, et viam Dei in veritate doces.* Magistrum dicunt, quem seductorem publicabant. Unde D. Chrysostomus in *Imperfect.*, *Hom.* xlii: « Hæc est, » ait, « adulatorium prima simulatio, quia laudant a quos perdere volunt. » Et ideo præstat a detractoribus corrigi, quam ab adulatoribus decipi. Quod si quis in juvenulo et edomito equo totus festivus et lætus versus rapem quamdam, præcipit proximum, velocissime equitans, aliquem calcariibus vel aculeo, ad virga equum suum ad velocius currendum urgentem videret, et alium, ut cursum suum sistat, pedem equo amputantem conspiceret, utrum ex duobus majorem amicum suum æstimaturus esset? Porro adulatio præcipitio similis est; « est a enim barathrum quoddam ad præcipitandum a eum qui non advertit, » dicit S. Chrysostomus. Ac proinde quisquis in via que ad æternam perditionem tuam te conducit, tibi blanditur, teque collaudat, tuus est animæ tuæ inimicus, non item alius qui correctionibus et reprehensionibus suis mediantibus a simili te præcipitio retrahit. *Melius est a sapiente corrigi, quam stultorum adulatione decipi.* *Eccle.*, vii, 6.

c. — Discipuli Phariseorum Magistrum Christum dicebant; ideo veracem nuncuparunt, totius enim testis ornamentum, imo ac fundamentum, veritas est.

d. — Ecce quam pulchra verba, quam ingeniosa de Christo prædicatio! Etenim in rei veritate, ita etiam res se habebat, ut hæc de Christo negare non possent; et tamen consueque illos seducit invidia, ut hæc de Christo proferentes, ejus confirmant innocentiam, seseque de injuria Christo per injustam mortem illata confundant. Sic invidus sibiipsi omnium malorum est artifex. S. Cyprianus ait: « Quicumque es invidus et malignus, nullius magis, quam tuæ salutis inimicus es. » Et ideo pec-

catum longè maximum, quod nullam admittit excusationem, nec compassionem meretur. Albertus Magnus, ut invidiam peccatum in Spiritum Sanctum esse probet, ita discernit: « Attende a autem, quod tria exiguntur ad hoc, quod peccatum sit in Spiritum Sanctum: Primum est a radix, secundum genus peccati, tertium a primum. *Radix* semper est malitia, non infirmitas a trahens, neque error vel ignorantia decipiens. a *Genus* peccati, quod semper fit contra Spiritum a Sanctum, manifestum est in actibus, vel domis. a *Proprium* autem, quod non habet aliquod pallium a excusationis, nec a toto, nec a parte, sicut habent a peccata ex infirmitate, vel ignorantia facta. In a genere autem quinque sunt talia peccata: Obdura ratio scilicet, presumptio, finalis impenitentia, a invidia fraternel gratiæ et impugnatio veritatis a agniti in divinis. » Porro D. Chrysostomus invidiam omni venia indignam esse censens, inquit: « An ignoras omni venia hoc peccatum carere? Ac a merito illud quidem, etenim fornicator cupiditatem prætereundum potest, fur inopiam et homicida a iram; frigiditas quidem causat et minime justas; a habent tamen quas dicant. Tu vero quas causas a commemorabis? Dic mihi. Nullas, nisi vehementem tuam improbitatem. Si enim inimicos diligere jubemur, quam perolveremus penam, si a amicos quoque odio prosequamur? Num si is qui a amantes se diligit, nihil melius sese habet quam a Ethnicis, quam habebit veniam qui nullam injuriam inferentes vexat? » Lvidus invadendo bono alterius, nullum ipsi damnum afferre potest; irreparabile vero est damnum illud quod sibiipsi conciliat; ac proinde S. Bernardus quemdam ex invidis his verbis affatur: « O quisquis es, qui salutem a invidias aliene, parcio vitæ tuæ. Si enim tibi a invidia, tibi mors, profecto non potes simul et a invidere et vivere. » Quamnam excusationem adducere homicida poterit? At vero, ut Aleuinus scribit: « Qui odit fratrem suum, homicida est, et a qui invidet, insuper est homicida suspensus. » S. Bonaventura hoc vitium tribus rebus assimilat, scilicet vermi, ærugini et lineæ. « Invidia, » inquit, « est sicut vermis in ligno, rubigo in ferro, tineæ in vestimento. »

e. — Dæmonis vicem agunt Pharisei et tentant Christum, ut eum capiant in sermone, et utantur dæmonis solertia, qui dum aliquem aggreditur se illius genio accommodat. Sciebant Pharisei Christum de sua veracitate gloriari. *Joan.*, v, 32: *Scio quia verum est testimonium meum.* Item *Joan.*, vii, 28: *Verus est qui misit me.* *Joan.*, viii, 14: *Verum est testimonium meum.* Et sæpe eodem capite, et multis aliis in locis. Ideo accedentes discipuli Phariseorum, dicunt: *Scimus quia verax es;* ut adulates ei de veritate, de qua gloriabatur, extorqueant ab eo optatum verbum, scilicet: *Tributum*

dare Cæsari non licere. Pulchre S. Gregorius, *lib. XIV Moral.*, vii, ait: « Intuetur inimicus gene-
 « ris homini uniuscujusque mores, cui vitio sint
 « propinqui, et illa opponit ante faciem, ad quæ
 « cognoscat facilius inclinari mente. » Dæmon enim
 varias technas, dolos et fraudes excogitat, et se in
 Angelum lucis transformat; ait enim Apostolus,
I Cor., xi, 14: *Ipsæ Satanas transfiguratur se in Ange-
 lum lucis.* Quando animas, serpentis instar, inficere
 et damnificare nequit, figuram mutat; ubi nihil
 ferocitate sua efficere potest, ibi adhibere studet
 meras astutias, fraudes et dolos. Beatus Laurentius
 Justinianus de hoc serpente scribit: « Quemadmo-
 « dum si quis stellas cæli, aut pluvie guttas, seu
 « arenam maris dinumerare voluerit, casso consu-
 « mitur labore; ita et quicumque varias dæmonum
 « fraudes ad plenum reserare conatus fuerit, super-
 « vacue desudabit; nempe ipsorum venenata mali-
 « tia inscrutabilis est, et prorsus ignota mortali-
 « bus. Deo solum revelante, eorum possunt detegi
 « insidie. Tortuosi namque cum sint colubri, et
 « anfractibus assueti plurimis, mox cum teneri
 « putantur, e manibus effluunt. Mille enim modis,
 « investigabili arte, ac infatigabili circumven-
 « tione simplicium animas decipere moluntur;
 « nunc blandis persuasionibus ignorantium mentes
 « decipere student, atque quibusdam rationibus
 « fictis, ad peccatum eos alliciunt; nunc callidis
 « machinationibus et astutiis eosdem præcipitare
 « contendunt. »

Quemadmodum ad spiritus Angelicos pertinet ut
 fervere in exercitiis devotionis et spiritus; ad
 emulacionem horum idem diabolus operatur et
 efficere conatur. Sed habet finem totum contra-
 rium, etenim insinuat et suggerit nobis rigores,
 austeritates et penitentiæ nostræ fragilitatis com-
 plexionem transcendentes, non alium in finem, nisi
 ut natura nostra debilitetur et enervetur, et er-
 nata minus apta sit ut iter perfectæ vitæ, esto mo-
 deratum, perficere possit. S. Thomas de Villanova
 ait: « Quid faciet dæmon, cum protectum a veritate
 « Christianum, neque hoc tam crudeli incursum, a
 « sanctitate et iustitia potuerit separare? Ad tech-
 « nas et fraudes suas convertitur, ut quem violentia
 « non deiecit, fraudulencia decipiat. Transfiguratur se
 « in Angelum lucis, ut sub specie pietatis, amato-
 « rem sanctitatis et probitatis delectat; et jejunan-
 « tem, magis ac magis jejulare suadet; orantem,
 « vigilantem, laborantemque similiter, ut post tri-
 « dum inutilem jejuniæ et vigilia reddat. Excedere
 « monet, ut deficiat et, currenti calcaria addit, ut
 « cadat. Quis omnes ejus fallacias et fraudes expli-
 « care sufficiat? Religiosum et modestum mona-
 « chum sub charitatis prætextu ad pacem inter
 « fratres componendam, ad solatium infirmis exhi-
 « bendum, et alia pietatis opera exarceda extra
 « cenobium ducit, ut sic per plateas vagantem

« libidine inficiat, curiositate sanciet, ambitione
 « inflat, curis secularibus disturbet et a devotionis
 « fervore distrahendo, tepesciat et infrigidet. Simi-
 « liter devotis matronis persuadere solet plus nimio
 « orationi vacare, ut familie curam negligentius
 « agant, et dum ipsa in oratorio inclusa diutius
 « manet, famula peccatis incubat. »

Aliud est stratagemata dæmonis, quod bene adver-
 tendum est, et locum habet in hominibus, qui sunt
 perfectioris vitæ, magnisque passibus tendunt ab
 perfectionem et vitæ sanctitatem. Gaudet ergo et
 cooperatur dæmon, ut tales applausum habeant,
 et nomen sanctitatis, vehementer accendantur Dei
 amore, ac incessanter, excessivaque austeritate
 affligant sua corpora; at in quem finem? Ut nimi-
 rum, præcipitentur et prolabantur in vanam glo-
 riam et presumptionem, veluti contigit illi Phari-
 sæo, qui dicebat: *Gratias tibi ago, quia non sum
 sicut cæteri hominum.*

VERSUS 17.

*Die ergo nobis: quid tibi videtur, licet censum dare
 Cæsari, an non?*

1. — Jam multi transierant anni, a quibus con-
 troversia isthæc suscitari cœperat, inquit Lyranus,
 quia enim eodem tempore, quo Salvator noster in
 hunc mundum natus fuit, Cæsar Augustus ab uni-
 verso orbe sibi subjugato tributum exigere cepit,
 teste Evangelista, *Luc.*, ii, 1, qui ait: *Exiit editum
 a Cæsare Augusto, ut describeretur universus orbis;
 hæc descriptio prima facta est a præside Syriae Cyreni,
 et ibant omnes ut profiterentur, singuli in suam civi-
 tatem;* hinc homo quidam e Galilæa oriundus, cui
 nomen Judas erat, surrexit, huicque exactioni se
 opposuit, allegans Hebræorum populum, nullum in
 terris dominum agnoscere, sed solum Cælorum
 Monarcham venerari. In qua opinione sua multos
 admodum sequaces habuit, prout videre est in
 Actibus Apostolicis, præterquam enim, quod populi
 defenderet libertatem, cultum insuper et honorem
 ipsiusmet Dei laeri omnibus videbatur; quantumvis
 præter hos ex Judæis plures alii erant, qui Romanis
 tributum illud jure deberi ascribebant: *Quia pro
 defensione patriæ militabant, et ab hostibus et intro-
 nibus defendebant, et pacem inter homines conserva-
 bant et justitiam.* Verum enim vero finis, quem hi a
 Pharisæis missi discipuli in hæc Christo proposita
 interrogacione habebant, ut supra diximus, hic
 præcipue fuit, ut nimirum per quæcumque huic
 difficultati subjungendam responserim, universi
 in ipsum populi odium concitarent, et tanquam
 homo seditiosus et saluti totius Reipublicæ summe
 noxius, imo criminis læsæ Cæsariæ Majestatis,
 omnem penes populum respectum, honorem et
 existimationem amitteret: « Dixerunt apud se, »
 inquit S. Bernardus, « si dixerit: licet, tenebitur

« reus tanquam libertatis nostræ destructor, solutio
 « enim census servitili signum est; si dixerit, non
 « licet, reus erit læsæ majestatis. O stultos! solet
 « stultus alios secundum se aestimare, et quod ipse
 « ignorat, sapientes quoque credit similiter igno-
 « rare; sed quid ait Sapientia? Libertati Dei non
 « derogo, Majestatem Dei non offendo, etc. » Ex
 textu S. Lucæ discipulos hosce studio et dedita
 opera Christum in presentia multitudinis interro-
 gasse dicitur, quia dicit Evangelista: *Non potuerunt
 verbum ejus reprehendere coram plebe,* id vero eo
 consilio utique fecerunt, ut si tributum solvendum
 esse responderet, plebeola præsens inde acerbius
 adversus illum, utpote hono illorum communi
 pessime affectum, graviaque illis imposita vel
 imponenda onera suadentem et approbantem exas-
 perarentur, vel ut Salmeron ait: « Principibus
 « blandiri, et eorum favorem conciliare sibi cense-
 « retur, et gratiam auramque popularem amitteret,
 « qui dicebant: Nemini serviamus unquam, et ita
 « traducerent eum, quod non zelaret pro lege et
 « libertate populi Dei. » Pergit idem Auctor ulterius
 qualem sibi formatum conceptum, et quid de eo
 divulgaturum fuisset, si interrogacionem propositam
 declinando, nullo eo responso dignatus fuisset;
 dicit enim: « Si neque hoc neque illud assumeret,
 « sed taceret, arguerent eum ut pusillanimum ac
 « timidum in confessione veritatis, quam tamen
 « velle profiteri videbatur. »

2. — Albertus Magnus verba illa: *Die ergo nobis,
 etc.*, eundem sensum habere dicit, ac si dixisset:
 « *Die nobis, utilitati nostræ consulens, qui
 « sumus populus tuus: nobis dicunt, non contra
 « nos; quid tibi videtur?* hoc est, ad conscientiam
 « responde. » Eandem quoque observationem apud
 Cajetanum legimus, dicenlem: « Non quaerunt an
 « debeant dare, sed an licitum sit in foro conscien-
 « tiæ dare. »

3. — Opponet forte quispiam, punctum istud
 sive dubium alias a Salvatore resolutum fuisse
 videri, siquidem Petrum pro utroque tributum sol-
 vere jussisset, *Matth.*, xvii, 23: *Accesserunt, qui
 didrachmas accipiebant, ad Petrum, et dixerunt ei:
 Magister non solvit didrachmam? verumtamen ex
 interrogacione, quam eodem in loco antecederet
 fecerat, clare deducitur, Redemptorem in hujus
 thesis decisione, quod sentiret, declarare noluisse;
 interrogavit enim Dominus: *Quid tibi videtur, Si-
 mon? Reges terræ a quibus accipiunt tributum vel
 census, a filiis suis an alienis? et ille dixit: Ab
 alienis; dicit illi Jesus: Ergo liberi sunt filii. Ut
 autem non scandalizem eos, vade ad mare et mitte
 hamum; et eum piscem, qui primus ascenderit, tolle:
 et aperto ore ejus invenies staterem unum; illum su-
 mens, da eis pro me, et te; ac proinde mirum esse
 videri posset, cur eum modo an tributum solven-
 dum esset interroget, cum eum hactenus censum**

istum solvisse noverint. Responderi posset, histo-
 riam hanc a S. Matthæo conscriptam in Caphar-
 naum accidisse, ac proinde fieri posse, nullam
 hactenus illius notitiam Jerosolymis innotuisse; at
 hoc dici nequit, quia Pharisæi conductos habebant
 homines, qui Christum ubique sequebantur, ejus-
 que dicta et facta omnia diligenter explorabant et
 indagabant, et vel minimum ejus verbum accurate
 Pharisæis notificabant: potius ergo credendum est,
 quod propter spem concitandi adversus ipsum odii
 Romanorum, ipsum tunc blandis verbis nimirum:
Scimus, quia tu verax es, etc., extimulare voluerint,
 ut diceret et quidem hoc responsum tanto verisimi-
 lius secuturum esse sperare poterant, quia sciebant,
 ipsum dixisse: *Ergo liberi sunt filii.* Proinde illum
 esse blandimentorum et adulationum irretiendum
 esse confidere poterant: « Adulatione putant ita
 « eum inflare, » inquit Chrysostomus, *Hom. lxxi in
 Matth.*, « et audacem reddere, ut contra institutas
 « leges et præsentem rerum statum quippiam
 « dicat. »

Additio.

a. — *Licet censum dare Cæsari, an non?* Pharisæi,
 quamvis aversissimum tributum solutum fuisse a Do-
 mino, ut est verisimilium, tamen questionem pro-
 ponunt, quia ex Christi factis ac operibus conjectu-
 rabant, quod ipse tribute tributum præstitisset pro vitando
 scandalo, pro quo, inquam, evitando, eheu quam
 non Christus ipse et Sancti insudarunt! Sapiens,
Prov., xv, 19, differentiam assignans inter vias quas
 mundani terunt, et iustorum et timoratorum semitas,
 ait: *Iter pigrorum sepes spinarum, via iustorum
 absque offendiculo.* Hi enim in omnibus actionibus
 cavent, ne proximis vel minimam scandali umbram
 præcaveant. Unde S. Bernardus, *de interiori modo,*
 cap. xxxv, de semetipso ait: « Mori timeo, quoniam
 « non sum paratus; malo tamen mori, et miseri-
 « cordie Dei me committere, quia benignus est
 « misericors est. » At vero quamobrem Doctor hic
 mellihulus mori cupiebat, magis quam vivere? Num
 forte Ecclesie aliqua hæresum, schismatis, vel per-
 secutionis imminerebat gravis tempestas? Aut vero
 mortem desiderabat, ob habitualis et penose cus-
 jusdam infirmitatis, qua tenebatur, violentiam? Aut
 vero quam fieri potuerit citissime Deo uniri anhela-
 bat? Nihil horum, sed audite verum hujus deside-
 rii motivum, ipsiusmet mellihuli Doctoris ore ex-
 pressum: « Malo mori, » inquit, « quam de mala
 « mea conversatione alicui scandalum dare. » Et
 tamen non jam dico anima ejus, sed corpus ipsius,
 vehementer extenuatum, utpote Spiritus Sancti
 sacrarium, ad integrum quemdam mundum ædifi-
 candum sufficebat. S. Ambrosius illum Apostoli ad
 Corinthios, *I Cor.*, x, 32, textum: *Sine offensione
 estote Judæis, et Gentibus, et Ecclesie Dei, sicut et
 ego, etc.*, ponderans ait: « Sic temperandam con-